



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

169. An sit licitum Religioso suum testamentum ante professionem factum  
declarare? Ex p. 3. tr. 2. res. 75.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

# De Dubiis Regular. Res. CLXVIII. &c. 111

inter viros factis; quia licet putet validè donare inter viros Scholasticum, tamen addit, donationes tales esse infirmas, siue ad arbitrium Superioris reuocabiles, & omnes contractus sine licentia initos esse rescindibiles. Quia in re Suarez auctoritatem magnifacio, & pouit fieri, vt Ecclesia tali conditione dominium reliquerit illis, vt non solum peccarent alienando sine licentia, sed etiam vt tales contractus essent à Superiore rescindibiles. Sed non video sufficiens fundamentum hoc asserendi; quia positum (ex mente Suarez, Sanchez, & aliorum multorum) quòd votum paupertatis faciat tantum, vt illicite vsurpetur dominium à Religioso sine licentia Superioris, valida tamen sit illa translatio dominij quantumuis peccaminosa; non possumus asserere donationem semel validam contra naturam suam fieri reuocabilem ad arbitrium Superioris, nisi lex specialiter id statuatur, sola enim prohibitio donationis non est sufficiens fundamentum: cum donationes aliae, quae sunt illicite, sint tamen plerumque irrevocabiles; & ita temperanda cum aliqua distinctione sententia illa videtur. Si enim Religiosus talis testamentum condens, moritur antequam illud Superiori ostenderit, Superiorem dico posse praesumere eum voluisse, vt subderetur, & reuocari possit; & tunc rescindet validè, & in tali casu succedet illi ab intestato, non à societate, sed ab amicis: & quòd ad illam praesumptionem procedit opinio Suarez. Si verò ex circumstantiis appareat noluisse Superiori ostendi, aut ab eo reuocari dico esse validum, & firmum, & haeredes institutos succedere. Hoc vsque Pater Vvadingus ex societate. Sed quia sunt materiae propriae, & individualiter spectantes ad dictam Religionem, meum iudicium non interponam, solum referre volui quid ipsimet sentiant. Et idè ne deseras recognoscere Cardinalem Logo de Iustitia tom. 2. disputatione 3. num. 79. Pellizarium in Manuali Regularium tome primo, tractatu quarto, capite secundo, sectione secunda, numero 159. & 160. Sicut etiam facio de alia questione; nam Sanchez libro 7. de precept. capite 27. num. 24. licet Collegia, & domos professas Societatis Iesv, concedat posse haeredes institui, siue ab aliquo suo Religioso, siue ab extraneo, & in hoc puncto veritatem attingat; tamen negat Coadiutorem formatum, aut professum Societatis posse haeredem institui, & in hac parte nihil nos differre ab ordine Sancti Francisci, legatum aliquod fatetur posse personis particularibus relinquere, illudque acquiri Collegio, ac domui in qua persona illa habitat. Cum Sanchez consentit Layman libro 3. tractatu 5. capite 5. numero 4. Sed Pater Vvadingus tractatu de controuers. disputatione quarta, dubio quinto, §. 4. numero 5. putat omnino probabilis Professos Societatis tantum esse incapaces successione ab intestato; & circa successiones eodem modo se habere Professos Societatis, quo se habent omnes Religiosi in Gallia, qui ab intestato non succedunt, sed tantum ex testamento: possunt ergo Professi Societatis haeredes testamenti institui, sicut Religionum aliarum Professi, & Collegia, vel domus profellae possunt eorum nomine hereditatem adire. Probat hoc Vvadingus pluribus rationibus.

9. Nota tamen contra Castillum de vsufructu lib. 1. cap. 65. numero 7. Gutierrez, Spino, & alios, testamentum fieri à Nouitiis, non obstante decreto Concilii Trident. sess. 25. c. 16. de Reform. quia vident. solum loquitur de contractibus inter viuos, & irrevocabilibus natura sua: Tum quia verbum renunciatio, & obligatio hoc proprie significat. Tum quia loquitur Concilium de renunciatione, seu obligatione, quae necessariò professione facta esset effectum habitura;

Tom. VII.

vt constat ex illis verbis, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri nisi secuta professione, aliter verò facta, &c. Deinde quia in testamento cessat finis huius decreti, qui fuit, ne vi renunciationis factae impediretur Nouitiis à libero Religionis egressu, quòd in testamento nunquam contingere poterat, cum semper liberum fuerit nouitio illud reuocare. Et ita docent Doctores, quos citat, & sequitur Castrus Palaus tom. 3. disp. 1. punct. 14. num. 11.

## RESOL. CLXVIII.

An Nouitiis etiam Patrum Minorum, & Capuccinorum possit in suo testamento reseruare electionem puellarum, quibus suis haeres debet quotannis soluere certam pecuniariam summam?  
Et an supradicta nominatio puellarum debeat fieri cum licentia Superioris? Ex p. 3. tr. 2. Res. 74.

§. 1. Negatiuè respondet Politius in Regul. Cap. 6. num. 77. & alij, qui docent supradictos Religiosos non posse suscipere vltimarum voluntatum executionem, ex Clem. Exiui §. proinde, de ver. significat.

2. Sed ego contrarium puto, etiamsi Nouitiis sit ex FF. Minoribus, seu Capuccinis, quia in tali casu cessat ratio d. Clem. non enim ad sunt litigia, & pecuniarum contractiones, seu administrationes. Nota tamen quod supradicta nominatio puellarum debet fieri cum licentia Superioris. Et hæc omnia docet Bartholomæus de Vecchis in praxi Nouitiorum, disputat. 8. dub. 13. n. 2. & alij penes ipsum.

Sup. hoc quod hic docetur late in 10.6. tr. 9. Res. 15.

Sup. hac nominatione in §. vlt. R. nor. præteritæ, & in alia eius annot.

## RESOL. CLXIX.

An licitum sit Religioso suum testamentum ante professionem factum declarare? Ex part. 3. tractatu 2. Resol. 75.

§. 1. Negatiuam sententiam tenet Miranda in manuali Pralat. tom. 1. quest. 23. art. 10. & alij penes Gasparum Thesaurum in 99. forens. q. 56. num. 3.

2. Sed contrariam sententiam, meritò tenet Reginaldus tom. 2. lib. 18. cap. 27. numer. 197. Moneta de commut. vltim. volunt. cap. 5. quest. 1. numero 14. & alij, quos nouissimè affert Bartholomæus de Vecchis in praxi nouit. disput. 18. dub. 12. num. 2. quibus ego addo Hieronymum Rodriq. in compend. 99. Regular. resol. 101. n. 50. qui citat Sanch. in sum. tom. 2. lib. 7. cap. 11. num. 16.

3. Dico igitur posse Religiosum, etiam minorem Capuccinum declarare suum testamentum ante professionem confectum, dummodò tale testamentum dubiæ, vel obsecræ voluntatis interpretari ne indigeat, & Religiosus declarationem verbis conuenientem proferat. Vide Gozadium consil. 41. num. 15. 16. & 17. Ratio est, quia in tali casu Religiosus non disponit aliquid, sed ostendit, quid actum sit in præteritum.

## RESOL. CLXX.

An legitima debeat filijs statim post professionem Patris?  
Vel in tali casu si non debeat legitima, obligentur filij alimenta à Monasterio petere?  
Idem dicendum est, si filius Religionem ingrediatur.  
Et an Religioso habenti Maioratum, fideique commissa